

AUCTOR LECTORI.

Mirum fortasse videbitur quod in tanta Institutionum Philosophicarum copia, & fere dicam, satietate, novum opus ego obtrudere audeam & meliorem tradendæ Philosophiæ rationem quasi polliceri; cui quidem reprehensionem facile satisfacturum puto, si hujus Operis occasionem & scopum exponam. A sapientissimis doctissimisque viris sæpe audiivi, etiamnum desiderari cultioris Philosophiæ Institutiones ad Theologici studii usum maxime accommodatas: neque injustas esse tales querelas, iniquave hæc desideria fatebitur quisquis varia, quæ hodie extant, vel saltem, quæ mihi nota sunt, Philosophicorum Operum genera percurret. Et primum quidem eximii non desunt, & sublimiores philosophici libri, sed res difficiliore & eas præsertim, quæ ad Physicam spectant, continent; id librorum philosophicorum genus magistrorum potius, quam tyronum manibus versari debet, neque frequenti saltem auditorum numero accommodatum est. Aliæ circumferuntur & quidem plurimæ Institutiones Philosophicæ ad tyronum captum usumque compositæ, sed in iis negligitur & sæpe contemnitur *Scholastica* methodus, quæ quidem si pressius, & sine inutili Syllogismorum farragine adhibeatur plurimum utilitatis habere potest. Alii institutionum Philosophicarum auctores utuntur quidem forma scholastica, sed vanissimas sterileque speculationes subtilius fusiufque persequuntur. Ex his jam intelligere licet totius Operis scopum, quem generatim hic explicabo, in singulis tamen Phi-